



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Oratio in tribulatione, 38

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

da cuspide dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute; & sic de capite meo educ aquam immensam, & de oculis meis verum fontem lachrymarum jugiter manantem, ex nimio affectu & desiderio visionis pulchritudinis tuæ: ut lugeam die ac nocte, nullam in præfenti vita recipiens consolationem, donec te in cælesti thalamo merear videre dilectum & pulcherrimum sponsum meum, Deum & Dominum meum. Ut ibi videns gloriosam, admirabilem & pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cum iis quos elegisti, majestatem tuam supplex adorem; & illic tandem cælesti & ineffabili repletus jubilo æternæ exultationis, exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce, quod concupivi jam video, quod speravi jam teneo, quod desideravi jam habeo. Illi namque in cœlis junctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus sum, cui toto amore inhæsi: ipsum laudo, benedico atque adoro. Qui vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen.

## CAPVT XXXVIII.

*Oratio in tribulatione.*

I. **M**iserere Domine, miserere pie, miserere mihi miserrimo peccatori indigna agenti, & digna patienti, assidue peccanti, & tua flagella quotidie sustinenti. Si penso malum quotidie quod feci, non est tantum quod patior: gravius est quod commisi: levius est quod tolero. Iustus es Domine,

mine,

mine, & rectum iudicium tuum: omnia iudicia tua iusta sunt & vera. Iustus & rectus tu es Domine Deus noster, & non est ulla iniquitas in te. Non enim iniuste neque crudeliter affligis nos peccatores, omnipotens & misericors Domine: qui cum non essemus, potenter fecisti nos: & cum perditum fuisset culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter reparasti nos.

2. Scio & certus sum, quod vita nostra non temerariis motibus agitur: sed à te Domino Deo nostro disponitur & gubernatur. Vnde tibi cura est de omnibus, præcipue de servis tuis, qui totam spem suam posuerunt in sola misericordia tua. Idcirco obsecro & suppliciter rogo, ut non facias mihi secundum peccata mea quibus iram tuam merui: sed secundum magnam misericordiam tuam, quæ superat etiam peccata totius mundi. Tu Domine, qui exterius flagella irrogas: da semper interius indeficientem patientiam, ita ut laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei Domine, miserere mei, & adiuva me, sicut tu nosti quod mihi est necesse in corpore & in anima: scis omnia, potes omnia, qui vivis in sæcula.

### C A P V T XXXIX.

*Oratio multum devota ad Filium.*

1. **D**omine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui in cruce expansis manibus, propter mortalium omnium redemptionem hausisti calicem Passionis, mihi hodie præbere digneris auxilium. Ecce pauper venio  
ad te